DE COLLATIONE ALEXANDRI MAGNI ET DINDIMI

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES IN UNIVERSITATE FRIDERICA GVILELMA SILESIACA RITE IMPETRANDOS CONSCRIPSIT

JULIUS MAKOWSKY

IDEM DISSERET

DIE XV MENSIS NOVEMBRIS ANNI MCMXIX

HORA XII ET DIMIDIA IN AULA MINORE

DE CYNICORUM DIATRIBA

DEINDE ERIT PROMOTIO

VRATISLAVIAE
APUD H. FLEISCHMANN
MCMXIX

DE DISSERTATIONE PROBANDA AD ORDINEM
PHILOSOPHORUM RETTULIT
GUILELMUS KROLL.

EXAMEN RIGOROSUM HABITUM EST DIE XXIII MENSIS
QUINTILIS.

GUILELMO KROLL

SACRUM

Conspectus libelli.

Index siglorum.

c o l l. I = Alexandri Magni, regis Macedonum, et Dindimi, regis Bragmanorum, de philosophia per litteras facta collatio. rec. Bernardus Kuebler in editione Iuli Valeri. Lipsiae 1888.

c o l l. II = Briefwechsel zwischen Alexander und Dindimus, in: Kleine Texte zum Alexanderroman . . . nach der Bamberger Handschrift herausgegeben von Friedrich Pfister. Heidelberg 1910.

B e c k e r p r o g r. = Heinrich Becker, Die Brahmanen in der Alexandersage. progr. Königsberg 1889.

B e c k e r Z f ö G = Heinrich Becker, Zur Alexandersage. Zeitschrift für österr. Gymnasien. 1890. p. 888 sqq.

C a p e l l e = Guilelmus Capelle, De Cynicorum epistulis. diss. Gotting. 1896.

G e f f c k e n [1] = J. Geffcken, Kynika und Verwandtes Heidelberg 1909.

G e f f c k e n [2] = J. Geffcken, Zwei griechische Apologeten. Leipzig und Berlin 1907.

L a s s e n = Christian Lassen, Indische Altertumskunde. II [1] 1849 [2] 1874. III 1858.

P W = Pauly — Wissowa — Kroll, Realencyklopaedie des klass. Altertums.

W e b e r = Ernestus Weber, De Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore. Leipziger Studien X. 1887.

W e n d l a n d = Paul Wendland, Philo und die kynisch-stoische Diatribe. Beiträge zur Geschichte der griechischen Philosophie. 1895.

Z e l l e r = Eduard Zeller, Die Philosophie der Griechen.

§ 1.

Quae Graeci scriptores de Bragmanorum vita et moribus tradiderint.

Constat Graecorum iam poetas antiquissimos barbaras gentes tamquam exempla hominum beatorum et proborum praedicavisse. Imprimis ἔσχατοι ἀνδρῶν laudabantur, ut Scythae. (A. Riese, Die Idealisierung der Naturvölker des Nordens in der griech. u. röm. Literatur. Frankfurt a. M. 1875. p. 7 sqq). Postquam Alexander Magnus expeditiones illas admirabiles fecit, gentes quae maxime ad regionem orientis incolebant, praedicabantur. Ut legati ad Alexandrum venisse dicuntur Abiorum, quos Curtius (VII 6, 11) dicit iustissimos barbarorum fuisse; „armis abstinebant nisi lacessiti; libertatis modicus et aequalis usus.“ (Riese p. 22.)

Etiam Posidonius de gentibus remotissimis egit. (Kroll, Wiener Studien 37 p. 227.) Qui disseruit (Strab. VII 296 fr. 92) Mysos ἐμψύχων ἀπέχεσθαι. διὰ δὲ τοῦτο καὶ θρεμμάτων. Scriptorum Latinorum Riese (p. 24 sqq.) affert Horatium (cf. Kroll l. l. p 227,230), Vergilium, Iustinum, Senecam, Tacitum. Iustinus, ut exemplum afferam, haec disserit (II 2): „Hominibus (sc. Scythis) inter se nulli fines; neque enim agrum exercent nec domus illis ulla aut tectum aut sedes est...Iustitia gentis ingeniis culta, non legibus... Lacte et melle vescuntur... Haec continentia illis morum quoque iustitiam edidit, nihil alienum concupiscentibus: quippe ibidem divitiarum cupido est, ubi et usus. Atque utinam reliquis mortalibus similis moderatio abstinentiaque alieni foret: profecto non tantum bellorum per omnia saecula terris omnibus continuaretur, neque plus hominum ferrum et arma quam

naturalis fatorum condicio raperet: prorsus ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Graeci longa sapientium doctrina praeceptisque philosophorum consequi nequeant, cultosque mores incultae barbariae conlatione superari. tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio quam in his cognitio virtutis."

Ex iis Graecorum scriptoribus, qui nonnulla de Bragmanorum vita et moribus tradiderunt, primum Onesicriti mentionem faciam, qui ab Alexandro Magno ad Bragmanos missus cum gymnosophistis, qui ad urbem Taxilam versabantur, collocutus est. Hi enim Bragmani nudi solis calori corpora offerebant aut in lapidibus calidissimis iacebant. (Kroll PW s. v. Kalanos; Ed. Schwartz, Fünf Vorträge über den griech. Roman. 1896. p. 83 sqq.) Onesicritus disseruit de colloquio cum Calano illo habito, quem plurimi scriptorum, qui de Bragmanis egerunt, commemorant. Quod colloquium E. Schwartz l. l. iudicat mutari „wie von selbst in eine Predigt der kynischen Lehre, insbesondere der kynischen Monarchie, des kynischen Weltbürgertums." E Calani oratione haec tantum afferam (fr. Müller p. 51 = Strab. XV p. 715): Τὸ παλαιὸν πάντ' ἦν ἀλφίτων καὶ ἀλεύρων πλήρη καθάπερ νῦν κόνεως· καὶ κρῆναι δ' ἔρρεον αἱ μὲν ὕδατος, γάλακτος δ' ἄλλαι, καὶ ὁμοίως μέλιτος, αἱ δ' οἴνου, τινὲς δ' ἐλαίου. Ὑπὸ πλησμονῆς δ' οἱ ἄνθρωποι καὶ τρυφῆς εἰς ὕβριν ἐξέπεσον. Ζεὺς δὲ μισήσας τὴν κατάστασιν ἠφάνισε πάντα καὶ διὰ πόνου τὸν βίον ἀπέδειξε· σωφροσύνης δὲ καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς παρελθούσης εἰς μέσον, πάλιν εὐπορία τῶν ἀγαθῶν ὑπῆρξεν· ἐγγὺς δ' ἐστὶν ἤδη κόρου νυνὶ καὶ ὕβρεως τὸ πρᾶγμα, κινδυνεύει τε ἀφανισμὸς τῶν ὄντων γενέσθαι. Hic Cynicorum de saeculo aureo sententiam invenimus. Dicunt enim Cynici propter ὕβριν multatos homines διὰ πόνου vitam degere. (cf. p. 19.)

Calanus illudit Onesicritum et ab eo postulat, ut veste detracta in lapidibus decumbat. Sed Mandanis sive Dandamis Calanum reprehendit et laudat Alexandrum, διότι ἀρχὴν τοσαύτην διοικῶν ἐπιθυμοίη σοφίας· μόνον γὰρ ἴδοι αὐτὸν ἐν ὅπλοις φιλοσοφοῦντα Mandanis explicat, ὡς εἴη λόγος ἄριστος, ὃς ἡδονὴν καὶ λύπην ψυχῆς ἀφαιρήσεται, καὶ ὅτι λύπη καὶ πόνος

διαφέρει· τὸ μὲν γὰρ πολέμιον, τὸ δὲ φίλον αὐτῆς. τὰ δὲ σώματα ἀσκοῦσι πρὸς πόνον, ἵν' αἱ γνῶμαι ῥωννύοιντο, ἀφ' ὧν καὶ στάσεις παύοιεν καὶ σύμβουλοι πᾶσιν ἀγαθῶν παρεῖεν καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ. Deinde Mandanis interrogat, num Graeci talia doceant. Onesicritus respondet Pythagoreos haec docere vetantes homines pecore vesci et Socratem et Diogenem, quem ipse cognoverit Mandanis ad haec dicit, ὅτι τἆλλα μὲν νομίζοι φρονίμως αὐτοῖς δοκεῖν, ἓν δ'ἁμαρτάνειν, νόμον πρὸ τῆς φύσεως τιθεμένους. Aegrotum esse turpe putari; si quis timeat, ne morbo afficiatur, se ipsum concremare.

Haec de Onesicrito. Calanus autem, quem supra commemoravimus, quod se ipse concremaverat, a multis auctoribu laudatus est. Neque praetercam Philonem Alexandrinum (Quod omn. prob. lib. § 93 sqq.) Calanum appellare exemplum ἐλευθερίας, qua vir sapiens excellat.

Quae Graeci de India sciebant, paene omnia Megasthenes collegit. (Christ-Schmid, Griech. Literaturgesch. II[5] p. 175.) Qui circa annum a. Chr. n. 300 legatus a Seleuco Nicatore ad Sandrocottum missus in India moratus scriptum edidit, quod Τὰ Ἰνδικά inscribebatur. Quae ille commemorat, magnam partem vera esse Christianus Lassen demonstravit. (II[1] 699 sqq.) Quodsi quaeris, quorum philosophorum partes Megasthenes secutus sit, dicendum est eum unum ex iis fuisse, quos „pythagoreisierende Peripatetiker" nominamus. (Christ-Schmid l. l.) At illas tantum sententias afferam, quae ad collationem Alexandri cum Dindimo pertinent.

Docebant Bragmani animam esse immortalem et apud inferos puniri. Naturae scientiam pro nihilo ducebant dicentes melius esse actionibus quam verbis strenuum se praebere. Mortem putabant esse initium verae beataeque vitae iis qui sapientiae participes essent. (fr. 40 p. 436a, Lassen II[1] p. 700.) Itaque parce ac duriter vivendo ad mortem se praeparabant.

Populum Indorum Megasthenes novit in classes constitutas distributum esse. Ii Bragmani qui rei publicae se dabant, septimae, qui philosophiae, primae classi attribuuntur. (Wecker PW IX 1306.) Discernuntur Bragmani et Sarmani sive ὑλόβιοι. Illi simplici vita utebantur, carnibus se abstine-

bant, humi dormiebant, oryza, oleribus, radicibus vescebantur. Qui a magistris eruditi erant, ad familiares reversi vitam multo liberiorem agebant et eorum tantum animalium carnem non edebant, quae homines labore iuvabant, sed cibo calido et condito se abstinebant. Ὑλόβιοι in silvis habitabant, herbis agrestibus alebantur, aquam bibebant nullo poculo usi, cortice arborum vel 'valkala' vestiebantur. (tr. 40 p. 436 b. fr. 41 p. 437a.)

Scriptores aetate posteriores qui de Bragmanis scripserunt, Lassen III p. 354 sq. enumerat Alexandrum Polyhistorem, Philostratum, Bardesanem, Palladium.

Alexander Polyhistor tradidit Bragmanos carnibus et vino se abstinere. Alios singulis diebus, alios tertio quoque die cibum capere. Mortem eos contemnere vitamque pro nihilo ducere. Qui ab Indis σεμνοί vocentur, per totam vitam nudos vivere. Veritati hos se dedisse et de rebus futuris sollicitudine non affectos esse. (FHG III p. 236 fr. 95; Lassen III p. 356.)

Philostrati narrationibus (vit. Apoll. III 13—49) fidem habendam non esse inter omnes constat (Lassen III p. 358.)[1] Ut Apollonius in oratione apud Aegyptios habita rettulisse dicitur Bragmanos in terra et simul non in terra morari, moenibus non tegi, nullas et omnes res possidere (c. 15). Victum dicit (c. 26) esse tenuem, carnem eos non edere, sed τραγήματα καὶ ῥίζας καὶ ὡραῖα, ὁπόσα νῦν ἡ Ἰνδικὴ ἔχει ὁπόσα τε αἱ ἐς νέωτα ὧραι δώσουσιν. Putant κόσμον esse ζῷον. Deos esse multos in caelo, multos in maribus, fontibus, amnibus, multos in terra, apud inferos nonnullos (c. 34 sq.) Iarchas praeterea (c. 41) cum Apollonio occulta colloquia (ἀπορρήτους σπουδάς) habuisse dicitur περὶ ἀστρικῆς μαντείας καὶ προγνώσεως. Τοὺς μαντικῇ χαίροντας fieri θείους et pro salute aliorum agere (c. 42).

Bardesanes (Porphyr. de abstin. IV, 17 sqq. p. 256 sqq. Nauck) longe aliter de Bragmanis disserit. Qui consuetudine

---

[1]) Philostratus ex Herodoto, Xenophonte, Ctesia hausisse videtur (E. Meyer, Herm. 52 (1917) p. 376).

Damadamidis, Sandanis aliorumque usus est legatorum, qui ad imperatorem Antoninum Pium missi erant. Ab his accuratius de doctrina vitaque Bragmanorum docebatur. Narravit rem publicam Indorum in quattuor genera divisam esse. Ex his unum genus esse, quod a Graecis γυμνοσοφισταί appellaretur, quorum alii essent Bragmani, alii Samanaei. Bragmanos ex origine sua ut sacerdotes scientiam rerum divinarum habere; Samanaeos sua sponte ad ordinem sacerdotum se conferre. Bragmanos sub imperio regum non esse neque ullo magistratu fungi. Qui philosophiae, vel potius vitae contemplativae se dent, et in montibus et ad Gangem flumen habitare. Montanos pomis et lacte herbis mixto se alere. Qui ad Gangem habitent, pomis vesci, quorum ibi permulta sint, et oryza, si copia pomorum deficiat. Alium cibum gustare in turpissimis eos habere rebus.

Magna cum pietate deis colendis eos se dedisse et maximam partem diei hymnos et preces facere. Et Bragmanos et Samanaeos apud Indos in summo honore esse, reges eos adire et orare, ut pro salute imperii preces faciant et de propositis suis consilium dent. De vita et morte iudicare eos vitam esse a natura hominibus impositam et id agendum esse, ut anima corporis vinculis relaxetur. Accidisse, ut, quamquam optima valetudine uti viderentur, ultro mortem sibi darent. Nemini hos antea, quae in animo habeant, narrare neque quemquam impedire, quominus inceptum exsequantur. Qui ita mortui sint, sanctos beatosque praedicari; nam Bragmanos sibi persuasisse animos hominum immortales esse.

H i e r o c l e s, qui initio quinti saeculi floruisse videtur (Jacoby PW VIII 1478), nihil novi narrat nisi de veste sapientium. Illa enim dicitur fabricata esse ex linteis; quae ex lapidibus fieri. Fibras enim lapidum tenues Bragmanos texere vestimentaque fabricare, quae igni resistant.

Restat, ut commemorem Pseudo-Callisthenem (III 5 sq.), Palladium (περὶ τῶν τῆς Ἰνδίας ἐθνῶν καὶ τῶν Βραχμάνων), Ambrosium (de moribus Brachmanorum), collationem Alexandri Magni et Dindimi.

Palladii liber in tres partes dividitur: cpp. 7—10 sunt de India (Curt Müller, Studien zur Gesch. u. Erdk. im Altertum. Bresl. 1902 p. 52 sqq.), cpp. 12—16 de colloquio Dandamidis, Bragmanorum, Alexandri; auctorem huius libelli (Pseudo-Arrianum) Christianum fuisse explicat Brinkmann (Verh. der 43. Vers. dtsch. Philol. Leipz. 1896 p. 86); in cp. 11 Dandamis ipse narrat de conventu cum Alexandro habito.

Alexander a Dandamide valde vituperatur ob nimiam aviditatem (Becker progr. p. 10); sed Dandamidis oratio squalida est et de inopia sententiarum a Beckero accusatur. Alexander summisse se gerit; apud Bragmanos maneret, nisi φίλους timeret, qui id non paterentur.

Omnes hae parvae dissertationes — exceptis Pallad. cpp. 7—10 — sunt „philosophische Erörterungen mit dem Hintergrund Indien“ (Becker progr. p. 2). De his Beckerus fusius disserit, qui et alia et hoc demonstrat Ambrosium nostro Palladii textu usum esse (cf. § 5).

§ 2.

Quomodo collatio tradita sit.

Collationis tres formae extant, quarum vetustissima a rhetore e Graeco in Latinum versa edita est a Bernardo Kuebler in editione Valeri (Lips. 1888), altera codice Bambergensi tradita a Bernardo Kuebler (Roman. Forschungen 1891) et Friderico Pfister (Heidelberg 1910), tertia historiae de preliis inserta ab Oswaldo Zingerle (Die Quellen zum Alexander des Rudolf von Ems. Im Anhange: Die historia de preliis. Germanist. Abh. IV. Breslau 1885).

Becker ZföG p. 888 sqq. haec demonstrat. Si coll. I et II comparantur, perspicuum fit utramque ex eodem Graeco textu in Latinum versam esse. Qui collationem in historiam Alexandri inseruit, textu Latino usus est recentiore, qui codice Bambergensi traditus est; nonnumquam compositio sententiarum mutatur. Locis circiter sedecim textus historiae a coll. I differt et cum coll. II consentit, septem locis historia

cum coll. I consentit et a coll. II differt. Inde sequitur, ut is qui collationem inseruit, aut utramque collationis recensionem tenuerit, aut — hoc verisimilius est — ampliore exemplari recentioris usus sit, quam quod codice Bambergensi traditum est. Leonem archipresbyterum coll. II in Latinum non vertisse Pfister (Wochschr. f. klass. Philol. 1915 p. 329) demonstravit, sed dubium non est, quin copia verborum Leonis verborum supellectili simillima sit. Videtur haec recensio Leonis aetate Neapoli facta esse.

Certe apparet, si coll. I et II compares, interpretem coll. II nonnulla omisisse, quod imprimis cognoscis p. 13,12, ubi oratio in divitias incipit; nam hic lacuna est. In coll. I pronomine „vos“ divitiae significantur, in coll. II Graeci, id quod alienum est, ubi legis (p. 13,28 sq.): „Illa mater vos genuit, quae et lapides genuit.“ Praeterea coll. II auctor amplius, ut ita dicam, christiano colori studet. Qua de causa invenis p. 15,11 sq. „qui solus regnat in caelo“, 15,29 sq. „et non tenetis, quia corpora vestra unus deus, qui in caelo est, creavit,“ 12,2 „ut per eas deus nobis dimittat peccata nostra“, 15,8 sq. „mundi non estis et post mortem exinde tormenta sustinetis“ (coll. I p. 181,5). Dicitur Bragmanos statuas non ponere „de qualecumque deo“ (14,29), cum in coll. I (178,19 sqq.) nil nisi „delubra et altaria“ commemorentur. p. 18,23 legis „aeternis“, ubi coll. I habet „Tartareis“ (185,23). p. 11,35 sqq. puto interpretem erravisse aut textum corruptum esse; nam hanc sententiam intellegere non possum. Quae auctor dicere voluerit, ex coll. I (p. 172,1 sqq.) nullo negotio cognosci potest. p. 13,10 censeam inter „recipere“ et „debet“ inserendum esse „non.“ Oratio ab interprete coll. II adhibita squalida et exilis est; coll. I, quae, ut supra commemoravimus, a rhetore in Latinum versa est, clausulas observat. Quas nunc perlustremus.

§ 3.

De clausulis in collatione I adhibitis.

a) De prima clausula.

1. ´ ◡ | ` ´ ~ $171_{,5}$ gaudere figmentis; $172_{,2}$ ire naturae; $173_{,11}$ debere censemus. Alia exempla extant $169_{,15}$; $170_{,2,11,16,21}$; $174_{,2,6,20}$; $175_{,1,21,26}$; $176_{,2,4,10,13,24}$ etc.

Dissolutae formae extant

2. ◡́◡ ◡ | ` ´ ~ $175_{,24}$ dimiseritis exsortes,
3. ´ ◡ | ` ◡́◡ ~ $171_{,17}$ oneramus innocuis, 26 corrigenda non facimus; $176_{,21}$ poena respiciat; $176_{,14,17,22}$; $177_{,4,21}$ etc.
4. ◡́◡ ◡ | ◡̀◡ ´ ~ $172_{,1}$ facinora docuerunt,
5. ´ ◡ | ◡̀◡ ◡́◡ ~ $185_{,12}$ vestra philosophia.

Alias formas invenis

6. ´ - | ` ´ ~ $177_{,11}$ innocentes exercent; $185_{,11}$ consenescentem producunt,
7. ´ | ` ◡́◡ ~ $174_{,10}$ naturae corrigere; $171_{,19}$ intemeratae defruimur,
8. ◡́◡ - | ◡̀◡ ´ ~ $175_{,19}$ iugulis scelerastis: $188_{,20}$ mollitie refovemur,
9. ´ ◡◡ | ◡̀◡ ´ ~ $173_{,25}$ capaciter habitamus; $172_{,10}$; $177_{,1}$; $181_{,18}$.

b) De clausula secunda.

1. ´ ◡ | ` ´ ◡ ~ $169_{,10}$ videtur incredula; $171_{,7}$ habeamus agnoscere; $171_{,18}$; $172_{,3,9,13,17}$; $173_{,3,14,15}$; $174_{,4,26}$ etc.
2. ´ - | ` ´ ◡ ~ $175_{,23}$ sedes hortamini; $186_{,3}$,
3. ´ ◡ | ` ´ - ~ $174_{,9}$ affectare, quam natae sunt.

c) De clausula tertia.

1. ´ ◡ ` | ´ ◡ ´ ~ $169_{,8}$ ubique sunt, discrepare; $169_{,9}$ asserunt nuntiantes; $170_{,4,17,24}$; $171_{,4}$; $178_{,7}$; $181_{,7}$; $182_{,10}$; $186_{,20}$; $187_{,24}$.
2. ´ ◡ ` | ´ - ´ ~ $170_{,10}$ invenit plus praestandi; $171_{,8}$ censeas an spernenda; $171_{,16}$; $172_{,19}$; $173_{,5,26}$; $174_{,22}$ etc.
3. ´ ◡ ◡ | ´ ~ ´ ~ $171_{,23}$ vivitur inter pares; $176_{,5}$ habentibus imperatis; $175_{,14}$; $178_{,21}$; $179_{,1,4}$, $181_{,6}$; $183_{,7,10}$; $186_{,10,18}$.

d) Omnibus fere locis, quibus clausulam statuimus, cursus adhibetur. Invenis

α) cursum planum ~́ ~ | ~ ~́ ~ a 1, 6,

β) cursum tardum ~́ ~ | ~ ~́ ◡ ~ a 3, 7, b 1, 2,

γ) cursum velocem ~́ ◡ ~ | ~ ~ ´ ~ a 4, 8, 9, c 1—3.

Restant a 2,5 et b 3, quae ad eiusmodi formam non quadrant; sed fortasse hi loci neglecti sunt, quod ibi finis sententiae non est, aut textus corruptus est. (cf. append.)

Praeterea autem compluribus locis iam non clausula, sed cursus tantum statui potest:

α) cursus planus ~́ ~ | ~ ~́ ~ 188,$_{7}$ nube fatiscunt; 174,$_{25}$; 176,$_{10}$.

β) cursus tardus ~́ ~ | ~ ~́ ◡ ~ 171,$_{14}$ esse superfluum, 172,$_{6}$ congesta redimimus; 174,$_{12}$; 177,$_{14}$; 178,$_{4}$; 182,$_{4,6}$; 183,$_{14}$; 184,$_{14}$; 185,$_{21}$; 186,$_{26}$; 187,$_{18}$.

γ) cursus velox ~́ ◡ ~ | ~ ~ ´ ~ 169,$_{20}$ remedia non perdamus; 171,$_{3}$ potero, quae requiris, 22 petimus constituti; 172,$_{7,18,21}$; 174,$_{3,17}$; 175,$_{4,7,11,17}$; 176,$_{6,7}$; 178,$_{8,18}$; 181,$_{24,26}$.

Quamquam nonnullis locis choriambum statuere potes, ut ´ ◡ ◡ ` ´ ◡ ´ ~ 171,$_{3}$ ut potero, quae requiris, aliis ◡́ ◡ ◡ ´ ◡ ´ ~ 169,$_{20}$ remedia non perdamus etc., tamen has formas agnoscere non possum, quod omnibus aliis locis accentus non neglegitur.

δ) Forma ~́ ◡ ~ | ~́ ~ occurrit 174,$_{4}$ subolis amor et 186,$_{22}$ imperio poena.

Iam apud Ammianum Marcellinum „schliessen von 800 Schlüssen 100 mit ~́ ◡ ~ | ~́ ~, 36 mit ~́ ◡ ~ | ~́ ◡ ~;“ „die freien Formen des mittelalterlichen Satzschlusses gestatten vor allem, dass die zwei Senkungen vor der letzten Hebung Wortschluss bilden, also ~́ ◡ ~ | ~́ ~ oder ~́ ◡ ~ | ~́ ◡ ~.“ (W. Meyer, Gesamm. Abh. zur mittellat. Rythmik II 1905 p. 259, 268.)

Videmus igitur rhetorem nostrum plerumque non solum accentus, sed etiam quantitatis verborum rationem habere. Invenimus enim id quod Meyer l. l. p. 263 nominat „den accentuierenden und zugleich quantitierenden Satzschluss“

(quod a rhetoribus circ. a. 400—1100 adhibebatur); „der Accent hatte die Quantität besiegt, aber nicht vertrieben; er unterjochte sie und machte sich dieselbe dienstbar. Die neuen Accentformen wurden noch lange Zeit mehr oder minder achtsam nach der alten Art mit langen oder kurzen Silben ausstaffiert."

e) De arte critica.

De textu emendando nonnulla addenda esse videntur. Legendum est p. 172,11 contingit (non „contigit", quod Kuebler ex cod. L recepit; „contingit" habent etiam codd. CEN; cf. append.);

p. 172,12 turpe vitamus („dum" del.); p. 175,16 Alexander disquirit; 176,1 suscepit, 16 arenam non ducimus; 177,22 praebere miracula; 184,7 curare mortalibus („de" om. CLNPT), 9 vos vocari (sic C); 185,8 meruisse iactatis („vos" om. BCLNT), 13 interdictus ut illis est (sic N), 25 falso vocabulo concinnatis (sic CNT).

§ 4.

De philosophorum sententiis ab epistularum auctore allatis.

a) De prima responsione Dindimi.

Conspectus epistulae.

coll. I p. 170,14—171,9. Exordium. Quamquam „impossibile videatur" Alexandrum ad Bragmanorum „instituta transduci", tamen Dindimum, ne „invidiae causa" tacere videatur, explicare in animo habere, „ad beate vivendum, quales habeantur" Bragmani.

I. Gentem Bragmanorum pura et simplici vita uti. (p. 171,10—175,4; 176,8—178,24.)

a) Gentem vita simplici uti. (171,11-22; 172,17—173,8; 173,14—174,12; 174,24—175,4; 176,11—177,27.)

b) Gentem vita pura uti. (171,22—172,17; 173,8-14; 174,12-24; 176,8-11; 177,27—178,24.)

II. Oratio in divitias habita (175,5—176,7).

III. „Adversus gentes" oratio. (178,24—182,16.)

a) Deum esse λόγον nec „caesis carnibus" expiari: 178,24—179,19.

b) Adversarios dicere hominem esse parvum mundum et aliis deis alia sacrificia sacrificare; hoc esse absurdum: 179,19—181,24.

c) Εἴδωλα, quae apud inferos inveniantur, adversariorum pravos animos esse: 181,24—182,16.

At singulos locos percurramus.

170,17-19 „Imperator exsors philosophiae non dominari solus creditur, sed servire quam plurimis."] Haec quidem Cynicorum sententia est, qui saepe disseruerunt de sapientis imperio. (Weber p. 91,138; Diogen. ep. 28.) Imperatorem pauperem esse, qui ἐγκρατείᾳ careret. Quod iam Antisthenes dixisse videtur. (K. Joël, Der echte und der xenophontische Sokrates 1893—1902, II 1 p. 45, II 2 p. 561 sqq.)

171,10 sqq.] Dicitur Bragmanos αὐταρκείᾳ se dedisse et vivere ὁμολογουμένως τῇ φύσει. Constat imprimis Cynicos dixisse sapientes nihil desiderare. (Joël l. l. II 2 p. 670, P. Gerhardt, Quid Xenopho comm. scrib. eff. vol. diss. Rostoch. 1890 p. 44.) Crates (Diog. Laert. VI 88) docet φιλοσοφοῦντας μηδενὸς δεῖσθαι. Qua re putabant se deis similes esse. Diog. Laert. VI 105: ὃς (sc. Diogenes) ἔφασκε θεῶν μὲν ἴδιον εἶναι μηδενὸς δεῖσθαι, τῶν δὲ θεοῖς ὁμοίων τὸ ὀλίγων χρῄζειν. De Antisthene v. Xen. mem. I 6,10: ἐγὼ δὲ νομίζω τὸ μὲν μηδενὸς δεῖσθαι θεῖον εἶναι, τὸ δ' ὡς ἐλαχίστων ἐγγυτάτω τοῦ θείου καὶ τὸ μὲν θεῖον κράτιστον, τὸ δ' ἐγγυτάτω τοῦ θείου ἐγγυτάτω τοῦ κρατίστου.

171,12] Explicatur victum non esse capiendum nisi διαμονῆς ἕνεκα. Haec sententia imprimis a Musonio explicatur (π. φυγῆς Stob. p. 751 H.): homini victum capiendum esse οὐχ ἵνα ἥδηται, ἀλλὰ ἵνα τρέφηται et διαμονῆς ἕνεκα. Haec igitur Stoici et Cynici dixerunt. — v. 15 legimus luxuriae sagacitatem alimoniam perquirere per omnia currentem elementa. Haec sententia in philosophia, quam popularem vocamus, saepe occurrit. (Hense, Rhein. Mus. 61,1,8 sqq.) Ut Varronis satura περὶ ἐδεσμάτων scripta demonstratum est

ganeos victum ex omnibus terris adducere. Alia exempla exhibent Lucian. Navig. 23: τράχινος μὲν ἐξ Ἰβηρίας, οἶνος δὲ ἐξ Ἰταλίας, ἔλαιον δὲ Ἰβηρίας κτλ. Hor. epod. 2, 49 sqq., Petron. 38. Sen. ep. 89,22: „profunda et insatiabilis gula hinc maria scrutatur hinc terras." Phil. de vit. contempl. 6. — Opponitur Cynicorum frugalitas: panem et aquam natura desiderat. (Sen. ep. 25,4; cf.. ad p. 172,17.)

171,22] αὐτάρκεια iterum occurrit. (cf. ad p. 171,10 sqq.)

171,23 sqq. „Locus non praebetur invidiae, ubi nullus superior est.. Omnes divites facit paupertatis aequalitas."] Invidiam saepe castigaverunt Cynici (Capelle p. 26). Diogenes (ep. 28) dicit Graecos numquam pace uti, sed per totam vitam bellum gerere. (Hippocr. ep. 17,28: πολεμέουσιν μὲν ἔμφυλα, ἠρεμίην οὐχ αἱρετίζουσιν. Τοὺς πολλοὺς (Joël l. l. II 2 p. 586) esse ἐν λύπῃ, ἄλυπον Cynicum. „Diogenes personatus pergit saepe se pauperes penuria sanos, divites propter incontinentiam aegros vidisse." (Capelle p. 27). Commemoretur Varronem saturam scripsisse „Inglorium περὶ φθόνου." cf. Plut. de tranqu an. 9, III p. 221,19 Bern.: οἷον εὐθύς, οἱ δεδεμένοι εὐδαιμονίζουσι τοὺς λελυμένους, ἐκεῖνοι δὲ τοὺς ἐλευθέρους, οἱ δ' ἐλεύθεροι τοὺς πολίτας, οὗτοι δὲ πάλιν αὖ τοὺς πλουσίους, οἱ δὲ πλούσιοι τοὺς σατράπας, οἱ δὲ σατράπαι τοὺς βασιλεῖς, οἱ δὲ βασιλεῖς τοὺς θεούς, μονονοὺ βροντᾶν καὶ ἀστράπτειν θέλοντες.

171,25 sqq.] Una lex est genti Bragmanorum: contra ius non ire naturae, i. e. ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν (cf. ad p. 171,10). Aliis legibus Bragmani non utuntur; nam has nil nisi „crimina proferre." Similiter Diogenes (ep. 28,1) haec explicat: νόμους γὰρ ὑμῖν αὐτοῖς μηχανησάμενοι μέγιστον καὶ πλεῖστον τῦφον ἐξ αὐτῶν διεκληρώσασθε, μάρτυρας τῆς ἐμπεφυσιωμένης κακίας λαβόντες. Sapientem virum misericordia carere (p. 172,2) Stoici docuerunt. (Diog. Laert. VII 123, Sen. de clem. II 5,2 sqq., 7,1 sqq.; Praechter, Hierokles der Stoiker. Leipzig 1901 p. 27; Wendland, Die hellenist.-röm. Kultur² 1912 p. 91).

172,4 sqq. „Culpas nostras aliorum remittendo peccata non abluimus nec sparsis divitiis scelera congesta redimimus."]

Similem locum reperire non potui. Sed ab hac sententia non multum differre videtur Plut. quom. adol. poet. aud. deb. 6 = I p. 59,8 Bern. τοὺς πλουσίους. . .ώνιον εὐθὺς ἀργυρίου τὴν ἀρετὴν ἔχοντας. (Elter, De gnomolog. Graec. hist. atque orig. progr. Bonn. 1893 p. 45.)

172,11 sq. „Laborem non exercemus, qui nutrit avaritiam, otium turpe vitamus."] Knebler scribit: otium turpe dum vitamus, Becker progr. p. 27 cum cod. L: otium turpe vitamus. (cf. append.) Beckerum sequamur; nam hoc modo bona clausula servatur. — Cynici cum φιλοχρηματίαν castigarent, πόνον laudaverunt. Αὐτουργίαν maxime praedicaverunt. (Praechter l. l. p. 64; Gerhardt l. l. p. 48).

172,12 sqq. „Libidini membra debilitanda non tradimus. Nocte non utimur ad tegenda flagitia."] „Sufficit dixisse hunc amorem, φαῦλον dico et libidinosum, ab omnibus philosophis inter perturbationes animi numeratum et a sapiente alienum habitum esse." (Norden, Jahrb. f. Philol. Suppl. 18 p. 386).

Sed amor ipse a Cynicis dedecus non nominatur. Quin etiam Antisthenes suasit, „quando corpus rei venereae indigeret, ut meretrices adiremus, quippe cum melius esset, cum illis nos concubare, quam amoris causa labores ac pericula suscipere itaque prohiberi, quominus animos ad virtutem intenderemus." (Rossbroich, De Ps.-Phocylideis, diss. Monast. 1910 p. 53; Gerhardt l. l. p. 45.)

172,14 sqq. „Nefas est apud nos iuga montium vulnerare dentibus vel camporum nitorem rigare vomeribus aut gementibus tauris stridentia plaustra subiungere."] Similia Cynici docuerunt de saeculo aureo disserentes. (W. Meyer, Laudes inopiae diss. Gotting. 1915 p. 21). cf. Verg. geor. I 125 sqq.:

ante Jovem nulli subigebant arva coloni.
ne signare quidem aut partiri limite campum
fas erat: in medium quaerebant ipsaque tellus
omnia liberius, nullo poscente, ferebat.

Quod Vergilius invenit apud Hesiodum (op. 117):

καρπὸν δ' ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
αὐτομάτη, πολλόν τε καὶ ἄφθονον. (Meyer l. l. p. 54.)

172,$_{17}$—173,$_{8}$. „Vescendi causa secreta litorum retibus non rimamur . . . Turrita culmina non levamus . . . Cur autem nos lavacra poscamus, quorum corpus immundis contactibus non sordescit? Sole calescimus, rore humectamur . .“ .] Hae quoque sententiae in diatribis saepissime adhibentur. (Wendland p. 15, 18; Geffcken[1] p. 78 sq., 8; Weber p. 105 sq.; Helm, Lukian und Menipp. Leipzig und Berlin 1906 p. 169.) Cynici enim contemnunt omnes τοῦ σώματος ἕνεκα πόνους, ut balneas, nives, ignes. Diogenes dixisse dicitur famem sitimque optimum cenae obsonium esse. (Capelle p. 36.) Vinum eum non bibisse, sed aquam ex fonte hausisse. Contra balneas invehitur Sen. ep. 51,$_{6}$: „quid mihi cum istis calentibus stagnis? quid cum sudatoriis, in quae siccus vapor corpora exhausurus includitur? omnis sudor per laborem exeat.“ (cf. Philostrat. vit. Apollon. IV 42). — 173,$_{7}$: „somnum sollicitudo non rumpit.“ Cynicus quiete dormire potest nec vigilat, ut divitias sibi comparet. Quis non meminerit Luciani Gallum? Conferas etiam Hor. carm. III 1,21:

Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit umbrosamque ripam,
Non zephyris agitata Tempe.

Docebatur divitias per se nocere; nam his virium facultates minui (Kroll, Wiener Studien 37 p. 234.) „Quo plus homo habet, eo plus habere vult“ (172,$_{23}$); hoc optime illustratur a Telete (^{2}p. 43,$_{1}$ H.): οἰκέτης ἐστίν. ἐλεύθερος σπεύδει γενέσθαι...γέγονεν ἐλεύθερος. δοῦλον εὐθὺς ἐπιθυμεῖ κτήσασθαι. γέγονε τοῦτ' αὐτῷ. ἕτερον πρὸς σπεύδει κτήσασθαι.

173,$_{8-14}$. „In homines nostri similes superba non agitamus imperia . . . Alioquin saevitia est in obsequium cogere, quos nobis fratres eadem natura progenuit et quibus ab uno deo patre communium bonorum spondetur hereditas.“] „Wo jeder Mehrbesitz als ein Uebel für den Besitzenden selbst erachtet wird, dort entfällt jeder Anlass und jeder Antrieb zur Ausbeutung, zur Knechtung, zur Bedrückung.“ (Gomperz, Griech. Denker II^{2} p. 133; Bernays, Lucian und

die Kyniker. Berlin 1879 p. 31.) Quo factum est, ut Cynici κοσμοπολίτας se esse dicerent; servitutem locum non habere. Quod etiam Epictetus dicit (diss. I, 13,3): Ἀνδράποδον, οὐκ ἀνέξῃ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ σαυτοῦ, ὃς ἔχει τὸν Δία πρόγονον, ὥσπερ υἱὸς ἐκ τῶν αὐτῶν σπερμάτων γέγονεν καὶ τῆς αὐτῆς ἄνωθεν καταβολῆς, ἀλλ' εἰ ἔν τινι τοιαύτῃ χώρᾳ κατετάγης ὑπερεχούσῃ, εὐθὺς τύραννον καταστήσεις σεαυτόν;

173,14 —174,2] Luxuria vituperatur et imprimis aedificia sumptuosa. (Wendland p. 15, 18, 24; Capelle p. 21.) Similem locum praebet Musonius (Stob. p. 175 H.): τί δ' αἱ πολυτέλειαι τῶν λίθων, τῶν μὲν χαμαὶ συνηρμοσμένων, τῶν δ' εἰς τοίχους ἐγκειμένων, ἐνίων καὶ πάνυ πόρρωθεν ἠγμένων καὶ δι' ἀναλμάτων πλείστων. Phil. de somn. II 7 sq. — Imprimis in Romanorum diatribis hunc τόπον invenimus. (Sen. contr. V 5, de ben. VII 10,4; ep. 83,21; 90,43.) Ad 173,18 cf. Hor. carm. III, 1,33; II 18,21. (Kroll, Wiener Studien 37 p. 226.) Cynicorum praedicatur frugalitas. Βίον degunt ἄοικον. Habitant „in defossis telluris speluncis aut concavis montium latebris." (173,23.) Becker progr. p. 28 putat hunc locum a ceteris narratiunculis, quae sunt de Bragmanis, differre. Ibi enim Bragmanos sub divo aestum et frigus tolerare, hic speluncas et concavas montium latebras commemorari. Veros hos esse Bragmanos, qui in lucis et saepibus prope urbes incolant et in cubilibus ex frondibus pellibusque factis dormiant. (Lassen II² p. 707.) Qua ex re cognosci posse auctorem vitam et mores Bragmanorum novisse. Hoc quidem probare non possum. Nam hoc loco neque luci neque saepes neque frondes neque pelles commemorantur. Equidem censeam has sententias omnino inter se consentire: Bragmanos sub divo vivere, sed „defossis telluris speluncis" et „concavis montium latebris" a „ventorum fremitibus turbinibusque tempestatis" tegi. Hunc locum non puto probare auctorem vitam et mores Bragmanorum novisse.

173,26 sqq. „Tutius nos defendit ab imbre spelunca quam tegula; cuius geminus nobis usus est mansionis: dum vivimus, proficit vitae, dum morimur, sepulturae."] Sepulchra sumptuosa vituperantur, ut Lucian. Menipp. 17. Menippus

interrogatur: οἱ δὲ τοὺς πολυτελεῖς τούτους καὶ ὑψηλοὺς τάφους ἔχοντες ὑπὲρ γῆς καὶ στήλας καὶ εἰκόνας καὶ ἐπιγράμματα οὐδὲν τιμιώτεροι παρ' αὐτοῖς εἰσι τῶν ἰδιωτῶν νεκρῶν; Respondet: Ληρεῖς, ὦ οὗτος. Exempli causa affert Maussolum, qui τοσοῦτον ἀπολαύων τοῦ μνήματος, παρ' ὅσον ἐβαρύνετο τηλικοῦτον ἄχθος ἐπικείμενος. Eandem sententiam invenimus Catapl. 9, Nigrin. 30; Anthol. Pal. X 8.

174,8-12] Dindimus pretiosum amictum castigat. Neque dubitandum est, quin haec res in philosophia populari saepissime occurrat. (Wendland p. 15, Geffcken[1] p. 101.) Etiam Tertullianus in libro, qui „de pallio" inscribitur, de veste iudicat, „die erst eine Notwendigkeit gewesen, dann zum Schmuck, ja zur Förderung der Anmassung gedient habe", „im Diatribenstil nach bekanntem Muster." (Geffcken l. l.) — De munditia nimis exquisita διατριβή cum hac re coniungitur. (Wendland p. 40 not. 2) Propert. I 2,5 sq.:
„naturaeque decus mercato perdere cultu,
nec sinere in propriis membra nitere bonis." (= coll. I p. 174,8.)

Ad. p. 174,4 „Membra papyri tegmine, vel quod est verius, pudore velantur". Becker progr. p. 28 monet et hunc locum probare collationem ab aliis eiusmodi scriptis differre; ibi enim Bragmanos vivere nudos, hic papyri tegmine velari. „Diese Nachricht ist sehr interessant, da sie ganz singulär dasteht und auf eine gute Quelle zurückgeht. Denn die Brahmanen kleideten sich in der Tat, nämlich in Häute von Gazellen (Strab. XV, 1,70), oder in valkala, d. h. in Rinde von Bäumen (Lassen II[2] 711)." Notum esse ex cortice arborum et ex libro papyri non modo chartam, sed etiam linteum fabricari. Itaque papyrum significare „valkala". Sed dicendum est apud Ps.-Palladium (p. 8,2 Pfister) legi: „Corpora nostra cooperta habemus de frondibus arborum." Unde apparet ne Palladium quidem dicere Bragmanos vivere nudos.

174,12-20 „Ad concubitum non admonet nos libido, sed subolis amor . . . Abortivis actibus procedere foeta nascentia non vetamus nec intra vivum corpus mortem invehimus alterius."] Wendland p. 34 sqq, qui comparat Philonem,

Musonium, Epictetum, hunc τόπον esse διατριβῆς demonstrat. Disserit de hac re etiam E. Bickel, Diatribe in Senecae philosophi fragmenta 1915. p. 180. „Differt stoa ab Aristotele suadente, ut adhibeantur abortiva sub condicione certa.“ (Zeller II 2[3] p. 731) Toti a stoa stant christiani, ut Tertullian. de exh. cast. 12, ad uxor. I 5 etc.

174,20-24 „Arma non sumimus, bella non gerimus.“] Sententia sequitur ex iis quae de avaritia dicta sunt. „Die Verbannung des Strebens nach Besitz und Ehren räumt eben die Gegenstände hinweg, um derentwillen die Menschen einander zu befehden pflegen.“ (Gomperz, Griech. Denker II[2] p. 133) Bellum a Cynicis non probari inter omnes constat. (Phil. de Abrah. 3, Epictet. diss. II 22,28; Diog. ep. 20; Sen. ep. 95,30 sq.; Wendland p. 38; Preisendanz, Philol. N. F. 21 p. 101.)

174,24 „De fatis nihil quaerimus.“] Kuebler scribit cum codd. PV „querimur.“ Equidem cum LRENT (cf. append.) scribam „quaerimus.“ Hoc enim loco Dindimus vaticinationem reprehendere videtur, id quod Cynici saepe fecerunt. (Zeller II 1[4] p. 330; Helm, Lukian und Menipp p. 123 sqq.)

174,26 sq.] Senectutis laudationem τόπον esse popularis philosophiae constat. (Cic. Cat. M. pass., Liban. or. IV 1 sqq. F.)

174,28—175,4] Sepulchra luxuriose ornata iterum vituperantur (v. ad p. 174,1) — p. 175,3 Graeci accusantur, quod corpora mortuorum concrement. Hanc quidem sententiam a Christiano sive Iudaeo auctore scriptam esse censeo. Hanc enim neque Cynici neque alii Graecorum philosophi dicebant, sed Christiani et Iudaei. (J. Grimm, Abh. Berl. Akad. 1849 p. 197) Tertullian. de cor. milit. 11: „et cremabitur ex disciplina castrensi Christianus, cui cremare non licuit, cui Christus merita ignis indulsit.“ Id. de resurr. carn. 1: „at ego magis ridebo vulgus tunc quoque cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus et promerens et offendens.“ — Tac. hist. V 5 dicit Iudaeos „corpora condere quam cremare, e more Aegyptio.“ (Grimm l. l. p. 207, 546).

interrogatur: οἱ δὲ τοὺς πολυτελεῖς τούτους καὶ ὑψηλοὺς τάφους ἔχοντες ὑπὲρ γῆς καὶ στήλας καὶ εἰκόνας καὶ ἐπιγράμματα οὐδὲν τιμιώτεροι παρ' αὐτοῖς εἰσι τῶν ἰδιωτῶν νεκρῶν; Respondet: Ληρεῖς, ὦ οὗτος. Exempli causa affert Maussolum, qui τοσοῦτον ἀπολαύων τοῦ μνήματος, παρ' ὅσον ἐβαρύνετο τηλικοῦτον ἄχθος ἐπικείμενος. Eandem sententiam invenimus Catapl. 9, Nigrin 30; Anthol. Pal. X 8.

174,$_{8-12}$] Dindimus pretiosum amictum castigat. Neque dubitandum est, quin haec res in philosophia populari saepissime occurrat. (Wendland p. 15, Geffcken[1] p. 101.) Etiam Tertullianus in libro, qui „de pallio" inscribitur, de veste iudicat, „die erst eine Notwendigkeit gewesen, dann zum Schmuck, ja zur Förderung der Anmassung gedient habe", „im Diatribenstil nach bekanntem Muster." (Geffcken l. l.) — De munditia nimis exquisita διατριβή cum hac re coniungitur. (Wendland p. 40 not. 2) Propert. I 2,$_5$ sq.:
„naturaeque decus mercato perdere cultu,
nec sinere in propriis membra nitere bonis." (= coll. I p. 174,$_8$.)

Ad. p. 174,$_4$ „Membra papyri tegmine, vel quod est verius, pudore velantur". Becker progr. p. 28 monet et hunc locum probare collationem ab aliis eiusmodi scriptis differre; ibi enim Bragmanos vivere nudos, hic papyri tegmine velari. „Diese Nachricht ist sehr interessant, da sie ganz singulär dasteht und auf eine gute Quelle zurückgeht. Denn die Brahmanen kleideten sich in der Tat, nämlich in Häute von Gazellen (Strab. XV, 1,$_{70}$), oder in valkala, d. h. in Rinde von Bäumen (Lassen II[2] 711)." Notum esse ex cortice arborum et ex libro papyri non modo chartam, sed etiam linteum fabricari. Itaque papyrum significare „valkala". Sed dicendum est apud Ps.-Palladium (p. 8,$_2$ Pfister) legi: „Corpora nostra cooperta habemus de frondibus arborum." Unde apparet ne Palladium quidem dicere Bragmanos vivere nudos.

174,$_{12-20}$ „Ad concubitum non admonet nos libido, sed subolis amor . . . Abortivis actibus procedere foeta nascentia non vetamus nec intra vivum corpus mortem invehimus alterius."] Wendland p. 34 sqq, qui comparat Philonem,

Musonium, Epictetum, hunc τόπον esse διατριβῆς demonstrat. Disserit de hac re etiam E. Bickel, Diatribe in Senecae philosophi fragmenta 1915. p. 180. „Differt stoa ab Aristotele suadente, ut adhibeantur abortiva sub condicione certa.“ (Zeller II 2^3 p. 731) Toti a stoa stant christiani, ut Tertullian. de exh. cast. 12, ad uxor. I 5 etc.

174,20-24 „Arma non sumimus, bella non gerimus.“] Sententia sequitur ex iis quae de avaritia dicta sunt. „Die Verbannung des Strebens nach Besitz und Ehren räumt eben die Gegenstände hinweg, um derentwillen die Menschen einander zu befehden pflegen.“ (Gomperz, Griech. Denker II^2 p. 133) Bellum a Cynicis non probari inter omnes constat. (Phil. de Abrah. 3, Epictet. diss. II 22,28; Diog. ep. 20; Sen. ep. 95,30 sq.; Wendland p. 38; Preisendanz, Philol. N. F. 21 p. 101.)

174,24 „De fatis nihil quaerimus.“] Knebler scribit cum codd. PV „querimur.“ Equidem cum LRENT (cf. append.) scribam „quaerimus.“ Hoc enim loco Dindimus vaticinationem reprehendere videtur, id quod Cynici saepe fecerunt. (Zeller II 1^4 p. 330; Helm, Lukian und Menipp p. 123 sqq.)

174,26 sq.] Senectutis laudationem τόπον esse popularis philosophiae constat. (Cic. Cat. M. pass., Liban. or. IV 1 sqq. F.)

174,28—175,4] Sepulchra luxuriose ornata iterum vituperantur (v. ad p. 174,1) — p. 175,3 Graeci accusantur, quod corpora mortuorum concrement. Hanc quidem sententiam a Christiano sive Iudaeo auctore scriptam esse censeo. Hanc enim neque Cynici neque alii Graecorum philosophi dicebant, sed Christiani et Iudaei. (J. Grimm, Abh. Berl. Akad. 1849 p. 197) Tertullian. de cor. milit. 11: „et cremabitur ex disciplina castrensi Christianus, cui cremare non licuit, cui Christus merita ignis indulsit.“ Id. de resurr. carn. 1: „at ego magis ridebo vulgus tunc quoque cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit, iisdem ignibus et promerens et offendens.“ — Tac. hist. V 5 dicit Iudaeos „corpora condere quam cremare, e more Aegyptio.“ (Grimm l. l. p. 207, 546).

175,$_{5}$—176,$_{5}$] Orationem hic legimus vere Cynicam in divitias habitam. „Ueber Reichtum und Armut äussert sich die Diatribe in doppelter Weise: einmal, indem sie mit ruhiger, zuweilen ironischer Dialektik, also mehr als „Satire“ dem Leser, in dem sie gelegentlich einen verstimmten Armen voraussetzt, die Nachteile des Reichtums, die Vorzüge der Armut begreiflich macht — so tun es u. a. Teles, Plutarch, Dion, Lukian — oder, indem sie in leidenschaftlicher Predigt das Gebaren der Reichen angreift: solches begegnet bei Ovid met. I 137 sqq., dann besonders bei Seneka (z. B. de ira III 33), d. h. seinen Mustern.“ (Geffcken[1] p. 42.) Eiusmodi diatribam hic invenimus. Sen. de ben. VII 9 sq. diatriba est Demetrio Cynico addicta. Hic — ut in Dindimi epistula — auctor Cynicorum modo avaritiam ipsam alloquitur. Imprimis vituperantur, qui agrorum suorum fines propagare studeant (W. Hoffmann, Das literar. Porträt Alexanders des Grossen. Leipzig 1907 p. 52), ut coll. I p. 175,$_{12}$ et Sen. de ben. VII 10,$_{5}$: „o miserum, si quem delectat patrimonii sui liber magnus et vasta spatia terrarum colenda per vinctos et immensi greges pecorum per provincias ac regna pascendi“, et de luxuria dicitur (de ira I 21,$_{1}$): „ebore sustineri vult, purpura vestiri, auro tegi, terras transferre, maria concludere, flumina praecipitare, nemora suspendere.“

Exempla, quae fabulae praebent, afferuntur. De „Iove et Danae“ (p. 175,$_{26}$) permulti disseruerunt. Hor. carm. III 16,$_{1}$ et Lucian. gall. 13 dicunt custodes Danaes esse corruptos, ipsam Danaen a Iove auro corruptam esse dicit Ovid. am. III 8,$_{29}$:

Iuppiter admonitus nihil esse potentius auro,
corruptae pretium virginis ipse fuit.

In fine orationis legimus hoc (176,$_{5}$): „Sola sapientia Bragmanorum vos (sc. divitias) superat non amando“, quod interpreter: „Nur die Weisheit der Brahmanen überwindet euch, dadurch dass sie (euch) nicht liebt.“ codd. EN add. „considerans vos eam matrem genuisse quae lapides“; cod. Bambergensis (p. 13,$_{28}$ coll. II) habet: „Sed sola sapientia

Bragmanorum vincit vos in omnibus, quia, sicut nos consideramus, illa mater vos genuit, quae et lapides genuit." Haec dicere videntur divitias (= aurum) ex eadem matre natas non pluris aestimandas esse quam lapides. (Kroll.)

176,$_8$ sqq.] Bragmanos esse μακροβίους et optima valetudine uti multi scriptores narraverunt. (Wecker PW IX 1304).

176,$_{14-24}$] Ludi et „scaenicae turpitudines" castigantur. (coll. II p. 13,$_{32}$ habet „nullos iocos amamus", quod consuetudini medii aevi respondet: ioculator = jongleur „Spielmann." Roger. Hoveden. in Ricardo I: „et de regno Francorum cantores et ioculatores muneribus allexerat." — Du Cange, Glossar. III p. 896.)

Ludos populo perniciosos esse non modo Cynici dicebant, qui iam pridem athletas vituperaverant, sed etiam Stoici. (Capelle p. 41, Wendland p. 41, Geffcken[1] p. 22, 68, 102 sq., Sudhaus, Aetna p. 101 sq., 109). Maxime ludi vituperantur, qui animos spectatorum concitent et „mulierculis puerisque" terrorem iniciant. (Cic. Tusc. I 5,$_{10}$ sqq., de div. I 32,$_{68}$; Sen. ep. 7,$_2$; 90,$_{45}$; 95,$_{33}$). Epicurum hoc voluisse monstrat Sext. adv. math. I 298. cf. Manil. II 37:

quorum carminibus nihil est nisi fabula caelum,
terraque composuit caelum, quae pendet ab illo.

Imprimis quae de orco poetae tradiderant, castigabantur. (Manil. II 46 sqq., Sext. adv. phys. I 71—74) Christiani has disputationes non intermiserunt. De mimo et pantomimo scripserunt Arnob. IV 35, Tatian. 22, Tertullian. apol. 15, ad nat. I. (Geffcken[2] p. 107, Kroll, Rhein. Mus. 72 p. 76.)

176,$_{24}$ sqq.] Philosophus quidem admiratur spectacula naturae. cf. Manil. II 60 sqq.

namque canam tacita naturae mente potentem
infusumque deum caelo terrisque fretoque
ingentem aequali moderantem foedere molem,
totumque alterno consensu vivere mundum
et rationis agi motu, cum spiritus unus
per cunctas habitet partes atque irriget orbem
omnia pervolitans corpusque animale figuret . . .

Hae maxime Posidonii et Stoicorum sententiae sunt. (Geffcken[2] p. 186) Similia apud Christianos inveniuntur dicentes optimum esse deo sacrificium naturae miracula admirari. (Athenagor. 13; Geffcken[2] p. 130).

177,$_{18-25}$ „Nos mercandi gratia pontum classibus non sulcamus.“] Hanc sententiam in diatribis saepe inveniri monstravit Wendland p. 45. Invenitur etiam Phil. de migr. 39. Quod omn. prob. lib. 10. Hor. carm. I 3,$_{21}$; II 16,$_{18}$; III 24,$_{40}$; Tibull. I 3,$_{37}$; Sen. quaest nat. III 10, Med. 301, Phaedr. 530. (Kroll, Wiener Studien 37 p. 231).

